

A PATATA fuerant, quorum opera ipse patria caruerat. Sabel. lib. 7. cap. 8. Exemplorum.

Consules variis casibus agitati.

CN. CORNELIUS SCIPIO Africa. Cos. à Pœnis apud Lipara captus, cum belli iure omnia perdidisset, latiore fortunæ vultu aditus, cuncta recuperavit, consul etiam iterum creatus. Quis crederet, illum à duodecim turribus ad Carthaginensium pervenire catenas: quis rursus existimaret, à Punicis vinculis ad summa imperii perventurum fastigia? Sed tamen ex consule captivus, & ex captivo consul factus est. Val. Max. lib. 6. cap. 11.

L. LENTULUS consularis, lege Cæcilia repetundarum crimine oppressus, Censor cum L. Censorino creatus est. Quem quidem fortuna inter ornamenta & dedecora alterna vice versavit, consul tui illius damnationem, damnationi censuram subiucendo; & neque bonis cum perpetuis frui, nec malis æternis ingenere patiendi. Vall. lib. 6. c. 11.

M. CRASSUS Rom. omnium diuissimus, idem & propret avaritiam infelicissimus. De eo Ovid. lib. 6. Fastorum.

Crassus ad Euphratem aquilas, natumque suosque Perdidit, & leibo est ultimus ipse datus.

Item Lucanus lib. 1.

— miserandum, funere Crassus Assyrus Latio maculavit sanguine Caras.

C. MARIUS maxima fortunæ locatio est. Omnes enim ejus impetus tam corporis, quam animi robore fortissimè sustulit. Arpinatibus honoribus judicatus inferior, questuram Romæ petere ausus est: patientia deinde repulsarum, irrupit magis in curiam, quam venit. In tribunatus quoque & adilitatis petitione consimilem campi notam expertus, præturæ candidatus supremo loco inhæsit, quam tamen non sine periculo obtinuit: ambitus enim acculatus, vix atque agrè abolutione ad iudicibus impetravit. Ex illo Mario, tam humili Arpinate, tam ignobili Romæ, tamque fastidioso candidato, ille Marius evasit, qui Africam subegit, Jugurtham regem ante curram egit: qui Teutonicorum Cymbrorumque exercitus delevit: cuius bina trophæa in urbe spectantur: cuius in fastis consilatus septem leguntur: cui post exilium consulem creati, proscriptoque facere proscritionem contigit. Quid hujus conditione inconstans, aut mutabilis? quem si inter miseros posuero, miserissimus: si inter felices, felicissimus reperitur. Valer. lib. 6. cap. 11. Sic de eo Ovidius 4. de Ponto 3.

Ille Jugurthino clavis, Cimbræque triumpho, Quo vitrix toties Consule Roma fuit, In campo Maris jacuit, carnage passivi: Perituli & tanto multa prædanda viro.

Item Juvenalis satyra 10.

Exilium & carcer, Minturnarumque paludes, Et mendicatus vilita Carthagine panis, Hinc causas habuere. Quid illo vive tulisset Natra in terris, quid Roma beatus unquam, Si circumdulto captivorum agmine, & omni Bellorum pompa, animam exhalasset opimam, Cum de Teutonico vellet descendere curru?

Et Lucanus lib. 2.

Cum post Teutonicos victor Libycæque triumphos Exulimosa Maris caput abdidit ultra, Stagna aridis texere soli laxæque paludes Deposuit Fortuna tum: mox vincula ferri Excedere senem, longæque in carcere pædor. Et mox: Septimus exequitur repetitis fascibus annus: Ille fuit vita Mario modus, omnia passo Que peior Fortuna potest, atque omnibus usque Que melior, mensque homini quid facta pararent.

De eodem Manilius.

Et Cimbram in Mario, Marimumque in carcere vultum. Quid consul rotas exulæ ex exule Consul, Et jacuit Libycis comparata iustura rumis Atque credidimus cepit Carthagini orbem.

Hoc nisi facta darent, unquam fortuna tulisset? SEJANUS à Tiberio in consilio collega affectus, magnis laudibus à Cæsarè, & ab omni populo affectus, cum superbiens multa contra Imperii dignitatem perpessus, à fortuna fluctuante in cinerem quasi confectus est. De eo sic scribit Dion. lib. 58. Sejani casus, inquit, humanam imbecillitatem egregie ob oculos ponit, monetque, nusquam inflatè se gerere. Quem enim ut præstantiorem se universi ad curiam comitati fuere, tunc quasi nequaquam se meliorem in carcerem rapuerunt:

quem coronis antè dignitatem, ei tum vincula induxerunt: quem tanquam dominum stupaverant, cum fugitivi instar custodierunt, tegmineque obvelanti seie detraherunt, alapis ingessit: quem ante prætexta purpurea veste decoraverant, cui genua flexerant, ac ut Deo sacrificaverant, eum tum ad mortem duxerunt. Populus quoque irruens, multo ei clamore hos, quibus mortem intulerat, exprobravit, spes quasi propositas habuerat, ludibrio præcavit, omnes ejus tradidit, confregit, captivos, quasi ipsum cornuella multarent. Iste peccator eorum quæ passurus esset, Sejanus fuit, dum in carcerem conjicitur. Nulla interjecta mora, eadem die prope carcerem in ædem Concordiæ convenit Senatus, ac morte eum damnarunt. Itaque capite multatus, in Gemonias projectus est, eumque totum triduum populus ludibrio habitum in Tiberium misit: liberi ejus ex Senatusconsulto necati sunt. Filla, quam pactus erat Claudii filio, confuturata prius à carnificæ quali in pium esset virginem in carcere perire. Deceverunt, ut quoniam domino exonerati essent, nempe Sejanum lugeret, Libertatis effugies in foro poneretur, festus dies ab omnibus magistratibus & Pontificibus (quod nunquam antè factum) celebraretur: dies quo is penas morte dedisset, annuis Circeusibus ludis & venationibus per quantum collega Pontificum & Angustii sacerdotis, orandum indiceretur, ne hoc quidem prius usitatum. Ita quem immodicus ac novis honoribus ad perniciem provecerat, in eum dii quoque novos cultus flauerunt. Victores cursus infelices.

Huc etiam Tit. Pelli, videtur respelle Felicitatis inconstans.

Post infansissimum bellum, pro mala mulierculator annos gestum, Troja funditus eversa est. Græci victores, aut in relictis perierunt, aut domi reperere perniciem. Erasmus in Adag. Apud Charonem Athenienses cum Thebanis victi perierunt: Philippus victor protinus à Pausania sublatu est, iuxta Sibyllæ Erythrææ vaticinium, καλὸν ὁ νικῶν, ὁ δὲ νικῶντος δεινὰ κατὰ: id est. Qui vici, perit: plorant, qui succubere. Id quod in proverbium abiit. Cujus meminit Georg. Gemistus in Hellenicis.

BOLESLAVS III. Polonorum rex, quadragies septies aperto Marte dimicavit, semper victor. Extremo prælio contra Russos ad Halicium, hostium multitudine & Palatii custodia fugatus est. Equus cui infidebat, multis vulneribus debilitatus concidit. Ibi miles quidam gregarius, sublevatum equo suo imposuit. Effugit quidem, sed paulo post præ incertore obiit. Cron. l. 6.

A.C. 1588. cum Turcæ in Christianorum fines citra Limpacum irrupissent, & 16. pagos depradati essent, abductis in servitutem omnibus incolis, Georgius Zerinus, Nicolai ad Zigerum interfecti filius, coactis 1500. pedibus, & 500. equitibus in prædones irruens, eos crepulo matutino super Cæzerolacum, inter paludum angustias, ita pressit, ut aliquibus in sylvas diffugientibus, aliis in paludes se præcipitantibus, majorem eorum partem occiderit. In hoc prælio Nuchmutes Sangiacus Quinquæeclesiensis, Alis Bassa filius captus est. Siman Begus Mohaziensis in paludes cum equo lapsus, ictu globi tormentarii transfolius interit. Cæsi vel submersi ferè 2000. capti ex hostibus 1300. equi 1500. prædaque omnis captivi Christiani recepta est. Ex nostris dederati 11. & pauci vulnerati sunt. H. Henning in General. Turc. Imp. Consiliarii, Antici, Principum Amici, variis casibus agitati.

Consule Tit. de Anla: item de Favore, & Favores Principum infabiles.

* Exempla recentia hujus rei suppeditat cum proximè elapsam, tum præiens sæculum, in Comite Essexio, quem Elisabetha Angliæ Regina, ob nimiam familiaritatem primùm Aulicis formidabilem, post in carcerem perditionis titulo confectum, supplicio affecti, anno 1601. e. Julque calvariem illa in pretio habuit, & duci Bironi ad se à Gallia missio, inter altam regiæ supellictis gazam, cum monile aliquod exhibitis, hoc eum dicto compellans: En hominis, quem ad tantum honoris fastigium exevexeram, craneum, quò tandem devenit: Disscant familiares summorum Principum, fortunam suam moderatè ferre, & expendant, quò loco sint. Dicitur Bironius ad spectaculum istud exhorruisse, ac occyus in Galliam concessisse. L. Beyers in opere Chronographico ad annum 1601.

Cæterum fatalis ea monitio Bironi fuit, ut cum proximè deinde annus mortem intulit, & non dissimilem Essexii exitum. Quippè conspirationis in Regem, cui intus fuerat, accusatus, & per literas, quas ad Finem quendam arcani consilii socium, mox delatorem, dederat, convictus, Senatus Parisiensis calculo, capitis cõdemnatus fuit, ultima die Julii. Idem ibid.

JOAN-

A JOANNI ab Oldenberneveldt fortuna quàm instabiles vices deicit? Ille enim qui consilio suo annis 40. fœderatorum Hollandiæ ordinum rem & rebellionem firmaverat, eamque mollem velut unius Atlas sustinuerat, ac Hispaniarum Regi infestissimus semper existerat, nuper altu Mauricii Orange Principis, quem sub initia ad supremæ gubernationis fastigium consilio & favore exevexer, circumventus, vinculisque traditus, post paucos menses in Palatio Hagienfi capite plexus, superbum verticem deposuit. Ejusque morte contentant Arminianæ factionis, cujus ille caput, & princeps, & vulgus, nè hifcere deinceps ausi fuere. Unde passim dicitur ob vecordiam impetiti, & ad alias regiones variè digressi, profugati bonique exuti plerique illorum fuere. Ejus autem rei historiam, causas, circumstantias, Belgarum rerum Annales abundè dabunt, è quibus lector percipiet, si quid particularius cognoscere desiderabit.

* HIEROGLYPHICA.

Vulgatissimum illud inter Hieroglyphica, Fortunam nunc rotule, ut vulgus, non sperne alicui, ut Cebes, insistentem pingere: sive ut eam rerum dominum ostenderet (qua de causa Apelles eam in sedem collocasse sive ut ius instabilitatem coargueret. Pier. Val. lib. 3. c. 39.

Veteres quum Fortuna plurimum tribuerent, eamque negotiorum penè omnium arbitrium opinarentur: simulacrum ejus, dextra clavum, sinistra cornu copie tenere fixerunt, quò bona & commoda ab eadem omnia proficisci crederentur: unde divitias & opulentiam fortunam appellaverit, uni illi regendi largiente facultatem concessam arbitrati. Pier. Val. lib. 4. c. 5.

Ut verò ejusdem inconstantiam notarent, sedentem eam in pila sculptebant. Ibid. eod. lib.

Capricornii signum, quod in multis Augusti Cæsaris numismatis videmus, summam, ut Astronomi tradunt, sub se natis pretendens felicitatem, hieroglyphicè nonnumquam significat secundam fortunam, summamque felicitatem. Idem ib.

Laetantur fortunam pictam à veteribus fuisse testatur, cum copia & gubernaculo, tanquam opes tribuat, & rerum humanarum teneat regimen; & omnipotens à plerique vocata est, quò pro arbitrio possit divitias commutare, victorias largi, pauperem flevare, & opulentum deprimere.

Pacuvius de e fac ait: Fortunam insanam esse, & brutam Cerebrent Philolopi, laxaque ad instar globosi prædicant esse volubilem. Quia quo laxum impulerit fors, eò cadere fortunam autumat: cæcam eam aut rem vocant, quia nihil cernat, quò se applicet: insanam eam ajunt, quia atrox, instabilique sit: brutam, quia dignum aut indignum nequeat internoscere.

Plut archus in libello de fortuna. Romanorum, ait, umbram eximia & antiqua fortune, cum primis fundamentis ejectioni fuisse. Primus, inquit, fortunæ delubrum Ancus Martius substruxit, fortunamque virili nomine dicitur. Propterea fortassis, quò in victoria fortiter obtinenda, priores sunt fortunæ partes.

Blondus libro primo de Roma Triumphante, scribit, apud Nemorensem lacum fuisse templum fortunæ virilis, ubi virgines Deæ immolarent. Certum est, Tullum Regem suos omnes æcus fortunæ adscriptisse, cujus beneficio ab ancilla matre ad regnam fuerat evedus.

Fuit & apud Romanos fortune herbaræ simulacrum, quæ cultoribus suis malas speciosius vestiret: se spercentes, malè barbato, glabroque redderet.

Fuit & utriusque fortunæ simulacrum, bone scilicet, & male. Ita verus, inquit Cic. lib. 3. de legib. Fuit in exquilis malæ, & exeratæ fortunæ.

Plin. lib. 36. cap. 3. ait: Bonæ fortunæ simulacrum à Praxitele factum, Romæ in Capitolio fuisse, &c.

* Forum. DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA. ET ACCEPTIO VARIA.

Forum ab inferendo dictum voluit Grammatici, quò res & merces variæ eò deferantur, ut venales exponantur. Alii à foris, sive foras derivant, quò ea, quæ in foro veniunt, plerumque deforis inferantur ab exteris, nam indigenæ in officinis suis merces exerant, & apud Græcis.

Sextus Pompejus Festus l. de verb. signifi. Inter acceptiones fori datus præcipuus connumerat, quæ ad Reip. opera publica & necessitates pertinent societatis civilis. Forum, inquit, sex modis intelligitur, primò negotiationis locus, ut forum Flaminium, forum Julium, ab eorum nominibus qui ea constituenta curantur: quò etiam locus privatus, & in viis, & in agris fieri solet. Alio, in quo judicia fieri, cum populo agi, conciones

haberi solent. Tertio, cum is qui provincie præest, forum E agere dicitur, cum civitates vocat, & de controversiis eorum agnoscit: quæ tertia acceptio ad secundam referri potest. Varro l. 4. de lingua Latina, Quo conferrent, inquit, ius controversias, & quæ vendere vellent, & quò quæque ferrent, forum generatim appellarunt, ubi quid addidit, ab eo cognomen, ut boarium forum, forum olitorum, &c.

* DE FORO JUDICIALI.

Forum judicialè aliquando certum non fuisse, aliquid certum & definitum, constat. Cum enim, ait Novius Marcellus de sermone Latino, fora loca fuerint, in quibus jus diceretur, fiebat, ut in diversis pro necessitate redderent; inde prætores & forum indicere dicebantur, cum locum iudicandi, qui conventus vocabatur, designabant. Huc pertinet, quod scribit Virgilius:

Indicite forum, & patribus dat jura vocatis.

Neque Romani vel antiqui, tot litibus abundantes olim, ut quotidie iudices aut magistratus, maxime præcipuos, ad iudicandum oportere; neque etiam qui gerebant majores in provinciis potestates, otium iudicandi habebant. Proinde cum tempus omne anni Romani prætores, ut colligit Suetonius, bello gerendo consumerent, tum hyeme ac temperatibus ejus, ab armis recedere coacti, iudicis operam dabant, multis ad id iudicibus, qui controversias eas deciderent, constitutis, qui recuperatores sunt appellati: quare in conventu, cum convenisset populus, iudices & litigatores, extremo conventus die conciliam habebatur.

* FORA JUDICIALIA UBI HABITA. SUB DIO.

Forum sub dio habitum tradit Quintilianus: eratque vel ubi ageretur de rebus publicis, ut in comitiis, vel de privatis litibus.

Erat Debora Prophetis uxor Lapidoth, quæ iudicabat populum suo tempore, & sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel, in monte Ephraim, alludebantque ad eam filii Israel in omne iudicium. Jud. cap. v. 4. & seq.

* LOCIS VARIIS ET INDETERMINATIS.

Meminit historia Caroli Magni, & Ludovici filii, per singulos annos fuisse indictos conventus iudicos.

Fuerunt & in Gallia postea, eraque curia ambulatoria seu vaga, vocabant Parliamentum ambulatorium, donec statum fuit & immobile, primùm Lutetiæ Parisiorum, dehinc alibi aliæ curiæ supræmæ per Gallias decreta & constituta.

Fuerunt & conventus temporales adli generales in finibus Carnutorum, in Gallia, tempore Druidum, ut notat Julius Cæsar lib. 6. de bello Gallico.

Erat & hic mos conventuum habendorum Germanorum, iuxta ea quæ scribit Corn. Tacit. de eorum moribus.

LOCIS CERTIS ET AD HOC DESTINATIS.

* Fuerunt & tribubus Iudices Romani certi concessi, ad quotidianam litium summariam decisionem; unde loca in quibus jus dicebant, dicebantur tribunalia: loca certa destinata & Romæ & per Italiam provincialibus, quæ & fora dicta ex nominibus edificantium, vel curantium edificati. Erant loca publica coloniarum, inquit Aggenus, ubi erant conciliabula, & postea fuerunt in municipiis jus relata.

* Iudicabat & Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ, & ibat per singulos annos circuei Bethel, & Galgala, & Masphat, in quibus locis iudicabat Israelem. Reverteturque in Ramath: ibi enim erat domus ejus, & ibi quoque iudicabat Israelem. 1. Reg. 7.

* Scribit Plinius, Marcellum Oslavia Augusti forore genitum, in umbra liti adilitate forum, ut salubrius litigantes confisterent: quod antea Cato Censorius, ne populus litibus assuesceret, acutus lapidibus sterendum putavit.

* In Basilicis dictum jus aliquando, quò se recipiebant iudicaturi Principes. Unde & putant dictos apud Hesiodum in Ergis, & apud Hesiodum, donivoros iudices; quem & posteris morem servatum indicat prohibitio Concilii sub Joanne Papa, quæ extat in cap. de immunit. Eccles.

* Neque etiam Senatium habere licuit Romanis, nisi in loco inaugurato; unde Vestalium templum non erat consecratum, ne in eo possit haberi.

* OCTAVIUS AVGVSTVS struxit forum cum æde Martis ultoris, templum Apollinis in palatio, ædem tonantis Jovis in Capitolio.

Erant & Romæ centumvirovorum fora, qui de causis privatis cognoscebant quotidie, ut de tutelis, usufructibus & similibus, tanquam sedes iudiciorum ordinariorum, delectis iudicibus

A Ecce iterum fratres, primos ut conigit arvis Ignis edax, tremere regi, & novus advena busto Pellitur, exundans diverso vertice flammae.

Et Lucanus: Scinditur in partes, gemitoque cacumine surgit, Thebanos imitata rogas.

Memorabilis quoque, sed minus tragica est historia, quae à Bernardino Scardonio, de geminis fratribus Luminatis ex familia antiquissima oriundis, recenetur: Legimus, inquit, ex hac gente fuisse aliquando duos fratres, qui per aetatem ruri noctu post caenam cum ambo sub dio in atrio domus de diversis rebus diversa inter se loquentes, starent suspicientes & contemplantes innumeras stellas, quas tunc fortè sereno caelo fulgere videbant, per jocum alterum veluti ridendo dixisse: precari se tot sibi boves esse, quot stellas fulgere conspiceret. Alterum quoque idem per jocum respondisse: Utinam mihi praeium esset, instar caeli latum: & ad fratrem conversum dixisse, Ubi tuos pasceres boves? At illum, In tuo prato: dixisse rursum alterum: Si nollem? Te etiam invito, alterum respondisse: Et Tunc, Me invito? inquit. Te etiam invito, ille respondit: Et ita alterando risu in iram, & mox ira in rixam, & serium futorem converso, dum neuter alteri cedere vult, exerts utrinque gladiis, quibus fortè ambo erant infeliciter accincti, se invicem transiverunt. Et hinc unus, illic alter humi decidentem, exanimis in suomet sanguine voluitur, donec à domesticis, qui eos altercantes audierant, delati intra domum, fatali hora propeante extincti sunt.

Tragicam, & recentem historiam recenlet Petrus Juslinienus. Novus, inquit, insolitueque casus in Hetruria finibus evenit. Nam ex Cosmi Florentiae Ducis liberis, Joannes magna indolis adolescens, in venatione cum duobus fratribus Hernando & Cartia, alisque comitibus profectus, dum canes leporem assidue per latram planitiem cursu insecuti fuissent, mortuoque feram apprehendissent, in controversiam cum fratribus venit. Uniquique enim canibus suis captæ prædæ palmam tribuendo, in dicacia verba invicem prorupere. Joannes autem probi impatiens, ut elati animi erat. Cartiam fratrem, cum quo jurgabatur, colapho percussit. Tum ille injuriam, non ferens, gladio educto, fratri in femore magnum vulnus intulit, quo paucis horis interit: atque ipse ab heri sui famulo fauciatur, patrique Cosino, ex illa infelici venatione interfectum ipsa, occisi filii corpus relatum est. Cartia quoque non multo post ex vulnere interit. Ita levissima ex causa pater fratricidio binos filios amisit. Refert Camer. in operibus succisiois.

CAUSÆ VARIE. UTPOTE AMBITIO. LIBIDO REGNANDI. ETEOCLIS apud Euripidem in Phœnissis inquit: Aliis rebus pietatem colas: si jus violandum, causa regnandi violandum est. Verus Eteoclis tyranni nolentis fratrem admittere ad societatem regni, citat ex Euripide Suetonius, eosque è Julio Cæsare frequenter pronuntiatos testatur Cicero. offic. 3. Unde apud Senecam Eteoclis frater, Polyneices nomine, matri Jocasæ in Thebaide respondit: Proregno velim Patriam, Penates, conjugem flammis dare. Apud Turcas nihil magis usitatum, quam regnandi occasione in fratres ferire, neque ea crudelitas apud illos probro datur, quin potius ad regni quietem eam opportunam censent. Ita nuper, anno videlicet 1582. mortuo Selime Solimani filio, passim circumferebantur chartæ venales, in quibus ipse & filiorum feretra conspiciebantur, depicta singula cum diademate, & fratribus exornata. Ii iussu fratris Murath III. interfecti, & regio funere in majorum monumenta, ad minuendum invidiam, una cum defuncto patre illati fuerant. Murathes enim patri successore, recepto more barbaro, frangulari quæque fratres suos, natu 3. minores, in presentia sua iussit. Quorum minimi cervicibus & jugulo, cum pro more nervus abiberetur: incertum an tenerioris in hunc amoris causa motum, an conscientia patrate crudelitatis in omnes illacrymâsse quidem illum constat.

Eodem modo & anno, Imael Cechmâis regis Persarum vel Parthorum fratrem, secundo loco genitus, non solum Sultanos sibi suspectos, verum etiam fratres suos omnes, quotquot nantifici potuit, è medio sustulit: qui tamen sexto regni mensis à sorte veneno sublaes est: sicut Leonclavis nolter (in supplemento. Annal. Turc.) refert. Cum autem hæc fratricidia pletrique, & rectè quidem, detestarentur: cogitatio subit animum, nihil novi accidere inter illos, qui libidine regnandi ex-

carcati, neutiquam turpe vel flagitiosum ducere id soleant, E quod ipsorum cupiditatis impedimento vel est, vel suspicantur esse posse. Siquidem, ut Robert. Guagnin. lib. 1. cap. 5. hist. Franc. ait, nihil apud dominandi cupidos probitatis aut fidei est. Libidine enim habendi reges feruntur: nec amici, nec generi indulgent sibi. Hoc ita esse apparet in Antonino Caracalla. Cum enim fratrem Setam in gremio matris interfecisset, & quidam ei fuisset, ut fratrem interfecit, ad mitigandam invidiam fratricidii, divum appellare: sit, inquit, divus, dum non sit vivus. Tam necia est pietatis & juris regnandi cupiditas. Rectè itaque de Tyrannis illis Lucani hoc dici potest:

Nulla fides regni sociis: omnisque potestas Impatiens consortis erit.

Sic videmus bruta pleraque, quæ (quod tyrannorum proprium est) raptio vivunt, quibus solus pabuli cura impreffit aliqua tyrannice naturæ vestigia, in propriis factis ferire potius, quam ut illos locos venationis accipiant. Eodem modo Plin. lib. 10. c. 19. nar. hist. scribit, Aves uncos unguis habentes, omnino non congregantur, & sibi quæque prædantur. Ad summum, non frustra barbara illa vox tam sepe ab historicis repetitur: Nullum regnum sine domesticis caede aut partidico esse solere. Secutus est Murathes ille exemplum proavi sui Selimis, Bajazetis filii: qui patre veneno, opera Judæi medici, ut ajunt, sublato, cum libido & cupiditas regnandi naturalem mortem expectare non permitteret, non modò fratres suos & eorum liberos, omneque consanguineos è medio sustulit, ne amulos regni reliqueret: sed etiam, cum in expeditione Egyptiaca esset veritus, ne sibi abenti, Solymannus filius unicus Imperium adimeret, quemadmodum ipse Bajazeti patri suo illud extorserat, velte quamdam veneno tincta do- no missa, filii vitæ, pater, ut multi indicantur, infidius est. Atque ita usitatum est in gente Othomanorum, quia apud illos Musulmannos reges mox esse perperus, ut ipse imperii ad omnes, exitus ad unum recensus sit. Ob hanc causam mortuo Saladino Sultano Egypti, Saphadinus paterus ejus novem filios Saladini, extra unum Norradinum, amicorum virtute tectum, libidine regnandi necavit. Decessit autem Saladinus, domitor ille Orientis, ac nostrorum terror, anno 1352. teste Meyero, in Annalibus Flandriæ lib. 7. Rectè itaque dicit Augerius Gisleinius Busbechius, legatus Cæsar. Majestatis in suo itinere Constantinopolitano: nihil omnino miserius Turcorum Imp. filius esse: è quibus si quis patri successit, reliquis inevitabilem mortem necessitatem manere. Nam neque, inquit, Turcæ imperii amulos ferunt: nec per milites prætorianos omnino ferre possunt: qui si quis fortè fratrum filii, præter eum, qui regnat, supersites, consanguinorum petendorum nullam fidem faciunt: si recensatur, statim audis: salvus frater sit, fratrem Deus nobis servet. Quo verbo designari illum imperio non est obscurum: adeo ut fratrum sanguine manus polluere, & partidico regnum, Turcis Imperat. sit necesse. Juslinienus præterea de Horode Parthorum rege (qui paulo ante fratrem suum Mithridatem, licet fiducia cognationis ultro se in potestatem ipsius tradidisset, in conspectu suo truculenti jussit) cum filius ejus Pacorus una cum toto exercitu à venditio interfectus esset, ita lib. 42. scribit: Hæc cum nuntiata in Parthia essent, Horodes pater Pacori, qui paulo ante vastatam Syriam, occupatam Asiam à Parthis audierat, victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filii morte & exercitus cladis audita, ex dolore ad furorem vertitur. Multis diebus non alioqui quemquam: non cibum H fumere: non vocem mittere: ita ut mutus factus videretur. Post multos deinde dies, ubi dolor vocem laxaverat, nihil aliud quam Pacorum vocabat. Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur, cum illo loqui, cum illo consistere: interdum quasi amissum seclibiter dolebat. Post longum deinde luctum, alia sollicitudo miserandum senem invadit, quem ex numero triginta filiorum in locum Pacori regem constituit. Post sicut pellices, ex quibus generata tanta juvenus erat, pro suis quæque sollicitæ, animum tenis obidebant. Sed fatum Parthiæ fecit: in qua jam quasi solenne est ferre partidas haberi; ut celeratissimum omnium ille ipse Pharaham nomine, rex statueretur. Itaque statim, quasi nollet morti naturaliter, patrem interfecit: fratres quoque triginta trucidati. Sed nec in illis cessant partidica. Nam cum inestis sibi optimates propter assidua scelera videret: nec esse, qui nominatim posset rex creari, adultum filium interfecit jubet. Reddissimè igitur de hoc barbaro rege vel potius tyranno dici posset, quod Polybius lib. 2. refert, Philarchum historicum de Aristomacho memorie tradidisse: eum solum tyrannum fuisse, verum etiam

A etiam à tyrannis genitum. Quo quid gravius, aut periculosius dici potest? Hoc enim nomen, inquit, quasi seminarium in se continet crudelitatis, & omnes hominum injuriis sceleraque complectitur. Philippus Lavinius in Commentariis, prodidit, annis non amplius 36. octoginta regie gentis principes mutis cladibus, ac suppliciis in Anglia occidisse.

Reges item Castiliæ puras à partidico manus continere non potuerunt. Ut enim non omnium ea que recenter facta commemoratur, Rex unus in ea gente lex fratres crudeli partidico peremit. Ioan. Bodinus lib. 2. de Rep. cap. 5. pag. 348.

MAHOMETES, Turcius Imp. hujus nominis tertius, Amurathis patris, An. 1595. 3. Feb. mortui successor, à cæde fratrum octodecim (alii dicunt undecim) & quadraginta concubinarum patris, regnum auspicatus esse dicitur. Richerus in axiom. Polit.

ANTIGONUS & HIRCANUS fratres, filii Alexandræ reginæ Judæarum, dimicant de regno. Antigonus excurit Hircanum. Postea ope Pompei iustus ab Hircano regno expellitur. Illud recuperat ope Parthorum, & Hircanum captivum in Babylonia abduci, à Romanis declarari Rex Judææ. Cum hoc dimicant filii Antigoni de regno: sed victi tandem, in isto conatu vitam amittunt. Rich. in Axiom.

Refert Juslinienus, Cambylem filium Ciri, postquam vidisset per quietem, fratrem filium Smerdum regnaturum, somno exterritum, jusse illum occidi. Idem.

Refert Plut. successores regnorum post mortem Alexandri Magni, omnes partidas, & incestus libidinibus infames fuisse: & inter illos axiomatis loco habitum: Fratrum cædes ad securitatem regni esse. Extra unum Antigonum domum, in qua nullus, præter Philippum Macedonia regem, qui Demetrium filium sustulit, cognato sanguine manus posuit. Idem.

ARVDEUS, Pamphilæ tyrannus verusitissimus, patrem lenio consecutum, & fratrem natu majorem interfecit. Idem.

Refert Ritsius Neap. Theodoricum II. Visigothorum regem in Hispania, una cum fratre Frederico, Torisimundum fratrem jugulasse, ut regnum acciperet: tandem & illum à suis fratribus jugulatum. Idem Petr. Greg. lib. 7. de Rep. cap. 37. pag. 492. 493. 494. 495. Incerti Poetæ versus sunt, quos de simili argumento Iubijcinus.

Venerat Eonm quatens Antonius orbem Et conjuncta suis Parthica bella gerens, Doraleaque petens Romam Cleopatra Canopa: Hinc Capitolino sistra minata Jovi. Hinc invicta Deo seditat Cæsare Roma: Quæ tunc penè suo pondere lapsa fuit. Deserta est tellus, classis comæxerat equos, Omnia permixta plena furoris erant. Eratibus heu fratres, patribus concurrere matos Impia sors belli, fatæque Jova jubent. Hic generum, socrumque petis minimeque cruentus Qui fuit hic sparsum sanguine civis erit. Mavrus à castris miles melioribus ausus Hostilem saltem præcipitare ratem. In damnum, felix, & victor, ut impius esset Nescius, occiso fratre superbus erat. Dum legit exuvias hostiliaque arma revellit, Fratrem vultus oraque maesta videt. Quod fuerat virius, saltum est scela, heret in hoste Miles, & è manibus mittere tela timet. Ille ferrox, quid lenta manus nunc denique cessas? Iustus hoste tibi qui moritur adest. Fratrem res nulla potest defendere cadem. Mors tua sola potest, morbo levanda tua est. Scilicet ad patris referens spolia ampla penates, Ad patrum victor non potes ire tuum. Sed potes ad fratrem, nunc fortiter usere telo. Impius hoc telos, hoc potes esse pius. Vivere sic poteris: potuisti occidere fratrem. Nescisti, sed scis, hæc mora culpa tua est. Viximus adversis, jaceamus paribus idem. Dixit: & in dubio est, utrius esse cadat. Ense meo moriar maculatus cæde nefanda? Cui mareris, ferrum quo mariare, dabit. Dixit: & in fratrem fratrem concidit ense. Videtur, & vultum concidit una manus. Incertus de Mavio fratris in bello Actiaco occidere Sicine comitis populos, Fortuna, furentes: Vixit levius vincere si gravius? Occisum credens gauderet Mavrus hostem, L. B. T. heur. Pite Human. T. om. 111.

Infelix, fratris sanguine latus erat. Nec licuit non nosse scelus, dum membra cruenta Nudat, in exuvias incidit ipse suas. Et scelus, & fratrem pariter cognovit: & amen, Hoc age, ait: majus nunc ubi restat opus? Vincere videtur debes, defendere fratrem. Cessas? ad facinus quam modo fortis eras. Terram, jura, Deos, bello jam pollutis ipsum Quod civile fuit, sit quoque aliquid istum His manibus patri actum jam pia signa requiris Miles, in Anconii dignior ire rates. Eripuit virtus, pietatem reddere virtus Debet: qua rapuit hæc reparanda via est. Quid moror absorti? dixit: gladioque cruento Incubuit, jugens fratris ad ora, sua. Sic, Fortuna, rogas semper civilia bella, Ut victor vultu non superesse velis.

* Fraus.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

FRAUS Græcè ἀρά, & ἀραυός, fraudulose & fallax dicitur; est autem fraus executio injustitia in factis, seu animi B. T. hom. 2. 2. 9. 5. 5. vel est executio alitue per facta, ut cum mensura est injusta, moneta adulterina, &c. Itaque dolus & fraus se habent ad astutiam, ut pactiones & actiones iustæ ad prudentiam.

Fraus non potest esse sine dolo, sed bene dolus sine fraude. Ideo fraudi inest dolus, sicut pecies generi. Ex B. T. hom.

Fraus dicitur à Ferendo, & est deceptio, quæ aliquid inferitur, juxta Perottum, sicut ab imponendo dicitur impostura. Fraus pro periculo quandoque ponitur. Virg.

Quis Deus in fraudem, quæ dira potentia nostra, Egit. Hebr. Ramach, verbum sign. præcipitavit, levando projecit cum impetu quodam, defraudavit aliquem. Inde Mirmach, nomen, fraus, impostura, Psal. 5. 7. & 17. 1. & 24. 4. & 32. 2. & 33. 4. Nechel item, id est fraus, à verbo Nachal, fraudulenter hinc, struxit fraudes, infidius est fraudulenter. Ab Hafchak, verbo, id est, fraudulenter verbis decepti aliquem, fraude & calumnia oppressit. Derivatur Hofchek, fraus, calumnia. Lev. 5. 4. Opes collectæ malis artibus, nempe fratribus, & sycophanticis doli appellantur Mahafchekoth, Prov. 28. 16. Ipsi. 33. 15. Conventit verbum Hafchak, cum alio, nempe Hikkesh, pervenit, & Hifsch, litigavit, calumniatus est: Litis enim toror & comes fraus, aut perversitas dicenda videtur.

Dicitur fraus fieri contra legem, vel ipsi legi: Prius quando fit contra id quod lege cavetur, abique colore, quo talis violentia tegatur: Ipsi autem legi fit, quando artificio quodam ita agitur contra inentem legis, ut videatur illi non repugnare.

Fraudulenti.

Aliaque hæc spectantia, petantur ex Titulis & Loco de Astutia & Dolo.

EXEMPLA QUÆDAM PROFANA.

A MATOR quidam Clodium P. Clodii forem decepit, areis quadrantibus loco argenteorum in loculos ejus immisiss; unde postea Quadrantula dicta fuit. Plur. in Cic. Sergius Galba observavit ante omnes Liviam Augustam, cuius & viva gratia plurimum valuit, eique opera ex palatio processit ad consultatum; & mortue testamentum penè ditiosum esset, nisi fraude Tiberii fuisset impeditus. Cusp. A. D. Pericles Atheniensis proclamavit, incolumes futuros hostes, si deponebant ferrum; ejusque obsecros conditionibus universos, qui in sagulis ferreas fibulas habuissent, interfecit iussit. Front. lib. 4. c. 7.

Oppugnabat Furius Camillus Phalicos, trahentibusque bellum cum oppidanorum virtute, tum loco natura, quæ erat minutissima: interea Ludimagister per socium deambulantis traxit principum filios ad Romana castra, ipsi duci gratificatus, & attulit secum proditor certam spem victorie: nulli dubium erat, quod parentes charitate filiorum, suis autores essent civibus deditionis sciendæ: sed tantum abhuit, ut Romanus eo modo vincere voluerit, ut proditorum averatus, qui id persuasum habuisset, Romanos dolo & astu potius, quam virtute bellare, vinctum nudatumque terga adolefcentibus dederit, in urbem verberibus agendum. Movit Romani ducis virtus Phalicos, & qui nuper omnia pati maluit, Aaa 2 sent.

A sent, quam assidentibus cedere, voluntaria deditio cessare. Sabel. lib. 10.

NON FRAUDANTIUM PRÆMIA.

In Episcopatu Coloniensi, oppido Imperiali, quod Doufburg dicitur, Vidua quædam ceterisviam braxare, ac vendere solebat. Die quadam, cum civitas casu fuisset incensa, ipsi- que incendium domui ejus appropinquasset, illa jam non habens spem in auxilio humano, ad divinum confugit: nam omnia sua vasa, quibus cerevisiam emporibus mensurare solebat, ad ostium domus contra flammam ponens, in multa cordis sui simplicitate sic oravit, dicens: Domine Deus justus & misericors, si unquam aliquem hominum his mensuris decepi, volo, ut domus hæc comburatur: si autem feci, quod rectum est in oculis tuis, precor justitiam tuam, ut in hac hora misericorditer respicias necessitatem meam, & mihi meque supellethili parcere digneris. Mira fides femine, mira Dei humilitas, qui dixit, Marc. 4. Quia mensura mensi fueritis, remetietur vobis; ac si oratione fidelis vidua conclusus fuisset, flammam omnia in circuitu devorantes, à domo ejus compescuit, cunctis stupentibus, quod ignis furens materiam cremabilem lamberet, nec incenderet. Ex Cesar. lib. 10. mirac. c. 31.

¶ Vide loca paulo ante indicata, & iis omnis generis exempla. Fraudem in successione intervenire. Quare Successo.

* Frenum.

Quo frenantur equi, aut ora eorum franguntur, χαλκός Græcè, à χαλκός, quod est laxare.

QUIS INVENERIT?

Equos frenis subigere, primum docuisse traditur Pelethronius, ut scribit Parricius lib. 3, tit. 2. de Regno.

Poeta Palladi ejus inventionem tribuit. Lapitharum nonnulli primum inventum volunt.

¶ Opifices. Quere in loco de Operibus mechanicis.

Frigus.

¶ Consulte Tit. de Constantia Regionis frigide, quere in Tit. de locis, eorumque qualitate varia.

Frons.

¶ Quere in loco de corpore. Tit. de Partibus corporis. Vide etiam Tit. de Abrasione, & Capillis.

Frugalitas.

Vide ABSTINENTIA. TEMPERANTIA.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

FRUGALIS, Græcè ἡσυχία, σόφρων, ἡσυχία, ἡσυχία. Et si σφραγισμένη, λιτή, ἡσυχία, frugalitas dicitur. Est autem Frugalitas virtus, quæ motus animi regit & sedat, moderatamque in omni re novit servare constantiam. Suntque frugi homines, quos Græci ἡσυχίους dicunt; qui in omni re motus animi moderantur.

Frugalitas, Hebr. Chochmah, Chochmah, vir sapiens, industrius, prudens, frugi, vide Prov. 1. 2. 4. & 10. 1. Eccl. 2. 14. Idem illis est sapientia, & frugalitas.

Frugalitas, virtus est media inter prodigalitate & avaritiam, cum nec nimis parcere rebus utamur, nec nimis luxuriosè. Est igitur moderata parsimonia cibi & potus. Dicitur autem hæc omnia à frux nominativa, pro fruge. Varro. Erux, legumen triticum. Hinc frugi indeclinabile nomen. Suntque frugi, de quibus supra. Hinc etiam frumentum quasi frugamentum. Igitur frugalitas à fruge, qua nihil melius è terra, ait Cicero 3. Tuscul.

Frugalitas est virtus, quæ res proprias custodit, utiliter collocat, vitat sumptus non necessarios, emaciatem, luxum, mutationes, adificationes: & tamen ubi ratio postulat, expendit, quantum opus est. Vicina virtus est liberalitati, & eadem ferè habet extrema. Liberalitas avaritiæ & tenacitati: frugalitas profusionibus & prodigalitati magis est opposita. Emaciatem fugendam esse, docet Senecæ regula Oeconomica, Epist. 91. Emas non quod opus est, sed quod necesse est. Adversus mutationes Chilo foribus templi Delphici adscriptis, Aëris alieni comes miseria. Quod ad adificationum infantiam extant Græci verbuli, Latinis verbis ita expressi: Adificare domos, & pascere corpora multa, Ad paupertatem proximus est aditus.

FINIS ET EFFECTUS.

Primus est, ut Deo obediamus, 2. ut nostras facultates conservemus & augeamus. Olim Hesiodus cecinit: Adde parum parvo, parvo super adde pusillum, Fiet & hoc magnum, infelix pelletur exestas.

3. Ut ad beneficentiam & sumptus necessarios copie suppetant. Plin. lib. 2. epist. ad Cal. Quod cessat ex reditu, frugalitate suppetur, ex qua, velut fonte, liberalitas nostra decurrit. Que tamen ita temperanda est, ut nimia profusione inareat. Pugnantis sunt, Profusio in pompas inanes, vestes splendidas, inutilis sumptus, ambitiosæ adificationum moles, convivia nimis lautæ: Nimia ex opposito tenacitas, fordities, genii fraudatio, negligentia item & ignavia in rebus propriis custodiendis, & laboribus tempestivis suscipiendis.

* DE FRUGALITATIS COMMODIS

ET HONESTATE.

APOPHTEGMATA.

CRATES benefico Phalero indignatus est, quod ipsi panes ac vinum misisset, dicens: Utinam fontes etiam panes ferrent. Sentiens, Vino nihil opus esse philosopho: atque hoc ipsum esse submoletum, quod panis non aequè parabilis esset ac potus. Laert. lib. 6. c. 1. Idem Stilpon Cæsi dedit carinam, simulque proposuit quaestiuclum. Cum Cynicus protinus nucem devorasset: Carinam, inquit Stilpo, perdidisti: hic Crates, Non carinam modò, sed & quaestiuclum, cujus illa fuit artha Sentiens, se frustra captatum munuclum ad respondendum. Laert. lib. 2. c. 1. Idem, Cum in forum incidisset, alios ementes, vendentes alios contemplantus: Illi, inquit, quod rem inter se contrariam agunt, se beatos esse judicant: ac ego me, quod utriusque, tum emendi, tum vendendi, sim immisus. Stob. ser. 1. de Prod.

SOCRATES dicebat, eos qui frugaliter viverent, longè plus habere voluptatis, ac minus cruciatuum, quàm si indulgerent genio. Laert. lib. 2. c. 5.

Idem advocat divites aliquot ad cenam: ob id sollicita Xantippe, quod apparatus esset perquam exiguis: Bono animo esto, inquit, nam si frugi temperatica sunt, boni consistent: si minus, nulla bonis horum cura debet esse. Hoc dilemma nobis meritò excuteret operosam & sumptuosam ambitionem G in excipiendis convivis. Laert. lib. 2. c. 3. Stob.

Idem dicitur solius est, eum esse diis simillimum, qui quam paucissimis egeret, dum dii omnino nullis egeant rei. At vulgus divites diis proximis existimat, quorum deliciis nihil satis est. De his enim dictum est in comædia Terentiana: Quam vos facillimè agitis. Hoc autem Homerus diis tribuit, quos appellat ἡσυχίους, id est, facillimè viventes. Facillimè autem vivit, qui paucissimis contentus est. Laert. lib. 2.

Idem dicebat, qui suaviter ederet panem, huic non esse opus obsonio: & qui suaviter biberet quilibet potum, huic non desiderare poculum, præter id quod adest. Fames enim & sitis optime condit omnia. Ibid.

Idem admonere solebat, quod apud alios diceretur edere aut convivari, apud Athenienses dici ἡσυχίους: qua voce dicebat nos admoneri, eo temperamento sumendum cibum, ut nec corpus nec animus oneretur, hoc opinor alludens, quod ἡσυχίους, sonet vehi, ἡσυχί, vehiculum, quanquam, ἡσυχί dicitur & cibus, coque additum ἡ, ne sarcina iusto gravius imponeretur corpori. Erasim. 1. Apoph.

Idem Xantippe eum increpante, quod tenuerit se ad amicos accipiendos prepararet, dixit: Si nostri fuerint, nihil curabunt, sin alieni, nos de ipsis nihil curabimus. Max. ser. 13.

Idem dicebat quoque, optimum condimentum esse famem, quod & optime edulceret omnia, & nullus esse impendii. Unde ipse semper jucundè edebat ac bibebat, quia neutrum faciebat, nisi esuriens ac sitiens. Laert.

Idem dicere solebat, multos in hoc vivere, ut ederent & biberent: se autem contra, ob id bibere & edere, ut viverent quod his rebus non ad voluptatem, sed ad necessitatem uteretur, quandoquidem natura paucis contenta sit. Erasim. 1. 3. Apoph. ex Stob.

Idem per forum obambulans, cum aspiceret mercium copiam, quæ illic vendebantur, ita secum loqui consuevit: Quam multis rebus ego non egeo: ast alii cruciantur animo, ita cogitantes: Quam multa mihi desunt! Sibi gratulabatur, quod juxta naturam vivens ac assuetus, aurum, purpuram, gemmas, ebur, aulæa, reliquaque divitum delicias, nec cuperet, nec egeret: quas dicere solebat magis necessarias agendis tragædiis, quàm ad usum vitæ. Laert. lib. 2.

Idem,

A Idem, quandam ex Amicis conquirentem, quod Athenis omnia magno venirent (vinum enim Chium mina, purpuram tribus minis constare, mellis heminam quinque drachmis) manu illius prehensa, duxit in forum farinarium: Obolo, inquit, inliens, semixestarius venit; villis igitur annona est. Hinc ad olestra deducens: Duobus, inquit, areis sextarius est. non magno igitur in urbe veniunt omnia. Qui paucis ac neceffariis contentus est, sibi facit vili annonam. Erasim. l. 3. apoph.

Idem, quondam præ foribus deambulanti contentiis usque ad vesperam, cum prætereuntem quædam dixisset. Quid agis Socrates? Obsonium, inquit, mihi comparo in cenam; de fame sentiens, quam agitatione corporis excitebat. M. Tullius sic explicat: Quò melius cenem, obsono ambulando famem. Laert.

Idem ad famem ac sitim tolerandam excrucietur sese, post sudorem enim palæstra collectum, cum alii potum vehementer appetunt, nunquam bibebat de primo crateri: rogatus quam ob rem id faceret? Ne conieticam, inquit, obsequi asfectibus. Interdum enim, licet sitis, noxium est bibere: hinc cum ratio suadet abstinentiam, affectus hortatur ut bibas, magis obtemperandum est rationi. Laert. lib. 2.

DIOGENES, cum aliquando à Cratæo Alexandri Magni præfecto ad cenam invitatus esset, respondit: se malle salem Athenis lingere, quam apud Craterum adipata frui mensa. Laert. lib. 6.

Idem, quibusdam obijcentibus, quod in foro cibum caperet: Quod mirum? inquit, in foro elurios, ratiocinatus à relative oppositis. Si fames non urgeter hominem in foro, fortassis absurdum esset, in foro veici. Sed eodem colore se tueri poterat, in foro dejectionis alvum, aut urinam reddens. Laert. lib. 6.

Idem, quum aliquando vidisset puerum cava manu bibentem: Hic puer, inquit, me frugalitate superat, qui supellectilem superfluum in eum circumferat; & educum è pera poculum ligneum abiecit: Nec cibum, inquit, & in hoc nobis providiisse naturam. Quum alterum puerum vidisset vasculo fracto, cavo panis excipere lenticulam, abiecit & catinum ligneum, & supervacuam. Hæc patiar videri ridicula, modò fateamur, immodicum simpliciter exemplum in hoc esse utile, ut nos nostri luxus pudeat. Ibid.

Idem, quum in publica via pranderet, multique cingerent illum ob spectaculi novitatem, ac subinde acclamarent, Canis, canis: Imò, inquit, vos potius estis canes, qui prandentem circumstantis; nam id canibus cum primis familiare. Ibid.

Idem, quum primum capisset philosophari, ac in dolio, sicco mucidoque pane vescens solus, audire totam urbem lætitia perstreptentem (erat enim dies festus) sensit animo nonnihil tædii, diuque secum de relinquendo vitæ instituto cogitavit. Sed quum tandem mures videret adrepentes, panisque micæ edere: Quid tibi displicet, inquit, à Diogenes: nunc magnificus es; ecce etiam parasitus alis. Ibid.

Idem, panem album nactus, è pera cibarium ejecit, hunc versum proloquens: Hospes tyrannus è vita decedito. Stob. serm. 50.

Idem, quum opiparo convivio videret Platonem nihil attingentem lautitiam, sed oleis dumtaxat vescentem: Quid accidit, inquit, vir sapientissime, ut cum ob hujusmodi mensas in Siciliam profectus sis, hic à paratis abstineas? Ad hæc Plato: At Hercules Diogenes, & in Sicilia hujusmodi cibo contentus eram. Quid igitur, inquit Diogenes, necesse erat Syracusas navigare? An tum Atica non ferebat oleas? Adtribuit quidam hoc dictum Aristippo. Ibid.

ANONYMUS, Quidam Lacon cum duas amygdalas duplo vendi conficeret: Summe hic, inquit, lapides? Quasi nihil interesset inter silicem & amygdalam. Ad hæc Lacon delictum erat rudis, ut neciret, sub gemino cortice latere nucleum. Erapparet hoc genus arboris non quibuslibet regionibus fuisse nonum, quando Plinius dubitat, an ætate Catonis fuerit in Italia. Plin. in Lacon.

ALEXANDER, quum regina Carum Ada illud haberet studio, ut assiduè mitteret Alexandro obsonia, bellariaque, per talium rerum architectos coquoque magna arte parata; Alexander ait, se ipsum habere meliores obsoniorum artifices: ad prandium quidem, nocturnum iter: ad cenam vero, tenuè prandium. Plin. in reg. & imp. apoph.

CYRUS, rogatus ab hospite, quid ad prandium apparari juberet? Nihil aliud, inquit, quam panem: Nam spero me prope rivum cœnatum, Mira frugalitas in rege barbaro: cui panis L. B. T. becat. Vita Human. Tom. 111.

erat pro obsonio, & sitim aquæ spe deferebat in cenam. E. Refert Ammianus lib. 21.

Prodicus dicere solebat, optimum condimentum esse ipsum ignem. Sentiens, bono stomacho satis esse, obsonium esse coctum, etiam si nihil accedat deliciarum. Erasim. lib. 6. Apoph.

SCIRIO Minor. Narrat, eum annis quinquaginta quatuor, quibus vixit, nihil vendidisse, nihil emisse, nihil adificasse; libras autem argenti triginta tres, auri duas in ampla domo reliquisse, quamvis pater minutus esset ei: Si plura quam secundum naturam velletur, vel ingurgitaret, ipsum condignas pœnas luiturum. Docuit filium vir sapientissimus, frugaliter esse vivendum, cum natura paucis contenta esse soleat; quæ si obsonio obturitur nimio, pœna statim in promptu est, quæ in variis morbis illico sese ostendit. Stob. ser. 15. & 20.

EPAMINONDAS. Quum coquus collegis Epaminondæ de impendiis aliquot dierum rationem redderet, non alia de re indignabatur, quam tantum fuisse consumptum olei: demerantibus autem collegis, negavit se offendi sumpto, led molestè ferre tantum olei exceptum intra corpus hominum. Sentiens, oleum esse naturam foris unguendo corpori, non intus capiendum. In unicum reddit corpus firmius, & injuriæ patientius: insufam in viscera, reddit delicatius ac legnius. Plur. in apoph.

TIMOTHEUS Cononis F. omiffis oppiparis cœnis, & epulationibus Imperatoris, assumptus è Platone ad convivium academicum, & frugali modicaque cœna exceptus, reversus ad suos dixisse fertur: Qui cum Platone cenant, etiam postero die bene habent. Vituperavit cœnas splendidas & onerosas, quæ omne sequentis diei gaudium & hilaritatem præciderent atque præterperent.

LEO Euth. F. interrogatus, quam quis urbem incolens tutus sit: Ubi, inquit, neque plura, neque pauciora inhabitantes possideant.

ANTISTENES, quum Diogenes ab Antisthene peteret tunicam, justit, ut duplicaret pallium, sic eum tunica speciem præbaturum, admonens, oportere paucis finis esse contentum.

EPICURUS dicere solebat, ei cui pauca non sufficiunt, nihil omnino satis esse. Item, se paratum esse de fœlicitate etiam cum Jove certare, si aquam & offam haberet: laudavit frugalitatem his dictis: quo animo autem voluptatem laudaverit, & aliis dices.

Idem gratias nature habendas dixit, quod ea que ad vitam hominis sublevandam spectant, parabilia fecerit: difficilia autem, non necessaria. Hinc illud Poete:

Discite quàm parvo liceat producere vitam. Idem interrogatus, quis plicis, aut quæ avis esset ad vescendum suavissima? πικραυγας, inquit, ταύτα σὸν δὲ σὺ: id est, ista curare desit.

APOLLONIUS, frugalitatem non ideò commendari hominibus dixit, quod tanti res viles ac minime sumptuosas faciamus: sed ut hoc pacto animi magnitudinem augeamus.

ALCAMENES Telecri F. objurgatus à quodam, quod parècè nimium ac tam frugaliter viveret, cum tamen amplissimas possideret divitias: Decet, inquit, eum qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine vivere.

Idem, percontantibus, quamobrem statuisset, ut ad ædium culmen imponendum fabri securi uterentur, ad fores verò addendas sola terra, nec ullo alio instrumento? Ut, inquit, cives mediocritatem fervent in omnibus, quæ in ades inferunt, neque quidquam habeant earum rerum, quæ apud alios sunt admirationi. Videbatur enim indecorum, si per ostium rude ac civile, supellex inferretur exotica, pretio cata, arte operosa; id ne fieret, ipse quodammodo fores admovebant. Hinc ajunt accidisse, quod Leorychidas primus apud Lacones rex, cum cœnaret apud quendam, cerneretque tectum domus sumptuosè apparatu factum, ac lacunaribus ornatum, rogabat hospitem num ligna apud eos quadrata nascerentur; adeò luxum esse putabat, naturam artificio corrumpere.

THASIORUM gens, ut copia rerum abundabat, præcipuè vini præstantia nobilis, ita deliciis erat addictior. Per horum agros cum exercitu proficicenti Agefilao, Thasii honoris gratia miserunt farinas, anseres, bellaria, liba ex melle condita, & item omnis generis alia maximi pretii, tum ecculentia. At ille præter farinas nihil accepit: reliqua domum referri justit ab his qui attulerunt, tanquam sibi fuisse profus inutilia. Ceterum cum illi precibus & obsecrationibus urgeret omnino, ut acciperet Xenia, justit ea inter Helotas distribu: id erat apud Lacedæmonios mancipiorum genus. Ejus quæ causam scificiantibus, respondit: Non decere, qui virtutis ac fortitudinis